

Q. D. B. V.
DISSESSATIO INAUGURALIS JURIDICA
^{DE}
DOCUMENTORUM
RECOGNITIONE ³⁹ ₃₈ ^{1716, 25.}

^{2VAM}
FAVENTE DIVINI NUMINIS GRATIA
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS
MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE DE BOINEBURG,
SACRAE CÆSAREÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CON-
SILIARIO INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESIA-
RUM MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI,
SENIORE, ET RESPECTIVESUPREMO CHORI EPISCOPO; EMINEN-
TISSIMI PRINCIPIS, ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO
INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUE ERFFUR-
TENSIS PRO. PRINCIPE. &c. &c.


P R E S I D E

DN. ERNESTO TENZEL, J.U.D.
FACULTATIS JURIDICÆ p. t. DECANO, JUDICI PROVINC. ASSES-
SORE, AC CIVITATIS ERFFURT. CONSULE, ET SYNDICO
PRIMARIO, &c.
PATRONO ac PROMOTORE, OMNIPIETATIS CULTU DEVENERANDO
PRO LICENTIA,
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES & PRIVILEGIA
DOCTORALIA CAPESSENDI,
IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI
D 24. OCTOBR. MDCCXVI. HORIS CONSVETIS
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI EXPONIT
JOANNES ANTONIUS ZAHN,
SAXO GOTHANUS.

ERFFURTI, Typis WERTHERI, Acad. Typog. Adj.

VIRIS
ILLUSTRISSIMIS, GENERO-
SIS, EXCELLENTISSIMIS,
CONSULTISSIMIS,
ILLISTRIS REGIMINIS SAXO-
GOTHANI
DIRECTORI,
CONSILIARIIS,
&
ASSESSORIBUS
SPECTATISSIMIS
P A T R O N I S
SUBMISSE VENERANDIS
HOC INAUGURALE SPE-
CIMEN HUMILLIME
DICAT, DEDICAT

Autor



B. C. D.
DISPUTATIONIS
 DE
RECOGNITIONE DO-
CUMENTORUM
PROOEMIVM.



Iu multumque, in universi Juris partes oculos obvertens,
 paginasque huc illuc versans,
 nouum argumentum, specio-
 sumque disputationi titulum,
 quæsiui. Cum uero omnes,
 ac singulas materias satis pertractatas viderem, ab
 aliisque, qui nouum hoc tempore promittunt, nil
 præter titulum noui datum, sæpius reperiem. Pla-
 cuit tandem, in materia Juris notissima, licet
 omnibus obvia, utili tamen, & scitu necessaria,

A 2

ope-

CATI

operam nauare, eandemque, vero & genuino siste-
re nomine. Idem autem, quod Vlpianus in L. I.
ff. de In Integr. restit. affirmo: Vtilitatem Tituli,
illius commendatione non egere: Documento-
rum quoque sibi vindicare posse videtur, & unus-
quisque, nisi ex *αναλογίαν* numero, qui modo
Forum a limine salutauit, suffragium mihi feret.
Nam in Processu, & cum primis Executiuo, do-
cumentum est truncus arboris Judiciariæ, & sicut
stipes, vel truncus totam arborem, ita etiam docu-
mentum totum Processum, in quo adhibetur pro-
bationis gratia, regit, atque gubernat. Hinc non
invile me facturum existimo, si eandem materi-
am, ex variis Auctoribus collectam, specimenis
publici vice, quantum in me est, disputationi sub-
jecero. Ibit autem hoc specimen multorum in
manus, & vix sine censura abibit: Qua propter
B. L. omnia in optimam interpretaberis partem,
& si non ex asse rem acu tactam videris, mihi, ut
homini, si cubi hinc inde erratum fuerit, veniam
faciliorem, si viam erroris esse lubricam, cogita-
ueris, largieris. Deus interim secundet co-
natus, & progressus, sat loco
procemii!

CAP.I.

§. 1.

Iicut in arte Medica, nunquam feliciter curatur morbus,
nisi prius Medicus ex intimo illum perspectum, atque
cognitum habeat. Ita in Juris disceptationibus, ver-
borum prior, potior rerum, ac posterior quaestio esse
debet. Principium enim eruditio[n]is est verborum intelli-
gentia. Arg: L. 1. ff. d. J. & J. L. 1. ff. de acquirend. possess.
Ea propter non solum Grammaticorum & Philosophorum,
sed etiam JCtorum proprium est, vocum notationem probe
indagare, ut arguit pr. tit. Inst. de test.

§. 2.

De derivatione autem nominis multa lexicographa
euoluere in praesentiarum animus non est; attamen docu-
mentum a Docere, nomen suum trahere, quia docet, arg. C.
si quis de clericis 12. qu. 2 German. Brieffi Uhlkunden & re-
cognitionem ex re & cognitio combinatoram esse, a suoque pri-
mario nosco, gr[ec]e γνῶση deduci, non est prater eundum,
id quod nemini ignotum esse puto.

§. 3.

Documentum alias etiam dicitur Instrumentum, ab in-
struendo dictum C fin. X. de dolo & Contum. item muni-
mentum, quia munit producentem, contra adversarium C.
cordiſ. post hoc de Appell.

§. 4.

Sumitur autem interdum in latiori significatu & com-
prehendit omnes res, quæ de Judici facienda producun-
tur L. 1. ff. de fid. Inst. ut in ictione venditi, si emitor mer-
cato

A 3

cem vitiosam esse excipiat, pars mercis producitur. Plerumque autem pro scriptura ad actum probandum confecta, siue sit publica siue priuata Hahn. ad Wesenbec. n. 1. verb. primo lator &c. Anton. Perez, in C. de fide Instrum. n. 1.

§. 5.

Hic quoque varia recognitionis documentorum diuisio-
nes occurunt, dispescitur in Veram, & fictam, haec accidit,
quando quis documenta, contra se producta, recognoscere,
aut diffiteri detrectat, tunc Judex malitia ejus occurrit, & do-
cumenta, pro recognitis habet, Carpz. P. 1. Const. 17. def. 13.
Gail. lib. 1. obs. 8. n. 6. adde Ord. Jud. Saxo-Gothan. part. I.
c. 10. § 27. Es sollen auch ic. sententiam tamen comminato-
riam que hodie in Judicis nostris Saxon. hisce formalibus con-
cipi solet: dass N. N. das Document sub: zu recognosciren oder
Eydl. zu diffitiren schuldig, wiedrigensfalls wird dasselbe pro re-
cognito billig gehalten; procedere debere necesse est, ante-
quam pro recognitis documenta habeantur Berl. p. 4. concl.
44. n. 63. & Carpz. in process. art. 14. Tit. 8. art. 5. n. 35. & seqq.
quod etiam praxis quotidiana satis firmat quo tamen casu &
quando documenta pro recognitis habentur contumax in ex-
pensis simul non est coademandus secundum Carpz. d. art.
3. n. 10. & seqq. ne propter unum delictum duabus affligatur
penis Wesenbec. vol. 1. Consil. 22. n. 19. Illa dicitur quae
reuera fit, & subdividitur in simplicem & qualificatam, poste-
rior est, quam praedit documentorum editio, eaque fit vela
parte adversaria, vel a tertio, & illa vel immediate vel mediate,
mediante nimirum Judicis injunctione, intercedentibus re-
quisitorialibus & compulsorialibus, prior autem absque do-
cumentorum editione solenni fit, & in continent perficitur,
Schwendend. ad Fibig p. m. 683. tandem dividitur in recogni-
tionem Documenti proprii, & alieni, publici, & priuati. Ne
autem prater opinionem præsens labor nimis excres-
cat, omnibus his relictis, saltem de duobus posterioribus,
nempe publicis & priuatis, in sequentibus capitibus principa-
liter sumus acturi.

CAP. II.

88 > 89
CAP. II.

§. 1.

Documentum publicum potissimum est, quod auctoritate magistratus confectum, corroboratum, & approbatum est, L. fin. Cod. de re Judic. L. 30. & 31. C de Donat. Meius pars. 3. decisi. 210. & illud est vel Judiciale, vel extra Judiciale Althus. in Dicæolog. libr. 3. cap. 41. n. 11. Prius est, quod causa cognitione precedente conficitur. L. 19. C. de test. posterioris Instrumentum publicum, seu extra Judiciale autem est, quod extra Judicij locum a personis publicis conficitur, summa que robur ita accipit, ut v. g. a Notario cum subscriptione testimoniū dependeat Brunnem. ad ff. tit. de fid. Instrum. n. 2.

§. 2.

Datur etiam quasi publicum, quod est chirographum a privatis quidem conscriptum, sed trium ad minimum testimoniū fide dignorum subscriptione confirmatum, adeoque quoad effectum vim publicorum habet, & plenam Judicii fidem facit, l. 11. & Auth. si quis Cod. qui pot. in pign. L. 17. Cod. de fid. Instrum: testes vero in tali non feminæ sed masculi opinionis integræ sint d. L. 11. in fin. & se subscriptant propria manu, propriumque sigillum apponant, aut saltem in defectu proprii vel alieni sigilli quo visi sunt, mentionem faciant, Mascard de præsumpt. Concl. 285, de manu enim & signatione testimoniū semper constare debet, alias, si ab adversa parte negetur, necesse est, ut testes manum, & sigillum recognoscant Mantica de tacit. conuent. Libr. 11. C. 24. n. 9. & sqq. in foro tamen Sax. instrumentum trium testimoniū subscriptione munitum, pro publico non habetur. per Const. El. 23. p. 2. §. 3. v. Struv. Exerc. 26. th. 26.

§. 3.

Quæritur autem an privata saltem instrumenta de Jure Civili L. 20. Cod. de fid. Instr. vñice recognitionem exigant?

30

an etiam simul publica? Resp. publica per se plenissimam faciunt fidem Jure Communi L. 20. ff. de prob. L. 11. Cod. qui potior in pign. modo requisita omnia instrumenti publ. ad fint Carpz. Libr. 3. Resp. 82. n. 1. & seqq. Aft. Jure Saxon. quia haud raro producens falsa instrumenta, adulterina sigilla, fictitiasque subscriptiones producit, sicque contra Juris intentionem alicui Jus afferat, aut saltem minuit arg. L. 31 §. 1. ff. deposi. Carpz. p. 1. C. 17 d. 12. n. 2. L. 20. ff. de fid. Instr. ab hoc Jure communi recessum est, & ibi instrumentorum quoque publicorum recognitio requiritur Decis. Elec. nov. 74. Carpz. L. 3. Resp. 82. & d. Const. 17. def. 20.

§. 4.

Nihil etiam interest, utrum sint propria an aliena, originaria, sive vidimata, Ord. Proc. tit. 25. in pr. Carpz. in process. tit. 14. n. 47. & 54. Ab hoc tamen excipiendæ sententiaz, Decreta, & Recessus judiciales, qui vires judicati jam jam obtinuerunt. Horum enim recognitione non est opus, sed ex iis statim executiue potest procedi Resol. Grauam. Provinc. de Anno 1661. tit. von Justizien Sachen §. 2. verb. wenn nehm. v. Berger Elect. Proc. Exec. §. 24. Cautela ergo est Advo- catorum, ne recognitionem postulent, si ejusmodi recessus, & decreta in manibus habeant, sed statim executionem fieri vr- geant, aliter enim facientes, magnis sumptibus processui de- nro inuoluuntur secundum Canonem:

Viam quam semel elegisti ambula L. si mulier §. fin. ff.
quod metus causa
Similiter nec documentorum recognitio est petenda, quæ tanquam pars Actorum per se probant, ut sunt litis contestatio, mandatum, concessiones dilationum &c. Rivin. Enunc. Jur. ad Tit. 25. §. 4 p. 97.

§. 5.

Alia est differentia inter Instrumenta publica, & priva- ta, quod in illis jurata diffessio locum non habeat Decis. Elec.

§. 6.

74. in fin. licet sit permitta per sententiam, aut jam facta, quia documentum publicum non est diffessibile, & consequenter non objectum diffessionis juratz, itaque pro actu nullo & frustaneo habetur juxta d. Decis. 74.

§. 6.

Cessat etiam jurata diffessio interdum in privatis, si talia sunt documenta, quaz ad rem nil faciunt, nilque probant, quod in laceratis, cancellatis, & iis, ex quorum contentis Reus convinci nequit obtinet, quaz nemini præjudicium faciunt. Ord. Jud. Sax. Gothan. part. I. Cap. 10. S. 27. Ehe es aber zur Eydesleistung kommt, soll darauf Achtung gegeben werden, ob es auch solche Urkunden seyn/ welche wenn sie unrichtig wären, wieder den, der sie Eydlich diffessieren soll, etwas erweisen können. Denn wenn dieses nicht wärde, und sie ihm nicht præjudicieren soll er mit der Eydlichen diffession, weil sie in diesem Fall ganz vergeblich wäre, verschont bleiben.

§. 7.

Haud inutilis quoque quaestio movetur si producens recognitionem non virget, vtrum iudex aut Magistratus ex officio, parte non petente, recognitionem injungere possit? Sunt quidam, quibus negativa & etiam quibus affirmativa placet sententia, negantium tamen probabilior videtur cum dicant, quod iudex, nisi imploratus, officium suum impertire nequeat L. 4. §. 8. ff. de damn. infect. Ne vero cuidam illius relinquatur serupulus, distinctionis sedere quaestionem ita decidimus; Recognitio aut est necessaria, ut sine illa sententia commode ferri nequeat, aut res per se est expedita, priori casu officium Judicis recognitionem suadere, secus quam posteriori casu putamus; Omne enim Judicii videtur concessum sine quo lis omnino decidiri non potest. arg. L. 2. ff. de Idict. Carpz. in proc. tit. 14 art. 2. n. 12. Quod denique in causa veluti Inquisitionis, ubi iudex ex officio procedit, nullum nobis dubium plane relinquit Carpz. in Process. inquisit. 1. Art. 5. n. 1. & in praxi Crim. q. 103. n. 54. & seqq.

B

§. 8.

Interdum autem contingit, ut quis expresse in Instrumento renunciet & pactum accedat, daß des debitoris Brief und Siegel auch ohne vorhergehende Recognition, geglaubet, und darauf die Execution angestellet werden solle, tunc renunciatio nullius est momenti & contra colerum statuit Carpz, p. 1. C. 17. d. 23. & ita judicatum esse a Dn. Scabin. Lips. m. Jun. 1700. refert Rivin. En. ad T. 25. §. 7. p. 97. nisi (1) a testibus ad minimum duobus subscriptum fuerit; quo casu etiam absque recognitione Debitoris instrumentum probat, modo accedit ipsorum testium jurata recognitio L. Jurisjur. 9. C. de testibus Coler de process. Execut. p. 3. Cap. 1. n. 138. (2) Nisi confessio aut aliis actus adversarii veritatem documenti approbauerit, illique adversarius fidem adhibuerit, vel expressis verbis, vel etiam concessione scriptorum, & exceptione tali, qua fidem presupponit, quo casu recognitionem documentorum literariorum, non necessariam, nec decernendam esse stat. Mev. p. 4. decis. 64.

Relicto instrumento publico, nunc sequitur priuatum. Est autem Instrumentum priuatum, quod hisce solennibus destituitur, & a priuato conficitur, ejusque species sunt portissimæ (a) Chirographum, quo debitor debitum fatetur, (b) syngrapha qua inter pacientes & contrahentes in rei gesta fidem fit, & (c) Antopocha, qua ipsemet debitor se obligat, vel qua debitor fatetur, se præstationes soluisse, & prædium præstationi obnoxium esse, quod de Jure in annuis debitibus necessarium est, eg. in Emphyteuta quando canonem solvit tenetur antapocham dare, vnde dominus probare possit, fundum huic Juri obnoxium esse L. 2. C. de Jur. Emphyt. & hæc sunt obligatoria, dantur vero in Jure nostro etiam liberatoria, vt est Apo-cha qua creditor fatetur se a debitore pecuniam debitam accepisse, & sic non contractum, sed solutum probat debitum, L.

§. 11.

19. C. h. t. L. 14. §. 2. C. de non numerata pecunia. Dicitur etiam Quitantia, vel Apodissa, vel Receptio, v. L. f. §. 2. ff. de C. ind. L. 27. §. 2. ff. de furt. Unde differt ab antapocha, quæ sit a debitore, hæc vera creditore, contra quem plene probat L. 7. C. de prob. jung. Coler. de process. Exe cut. p. 4. C. i. n. 124.

§. 10.

Hæc igitur documenta an proprie instrumentorum nomine veniant, controvertunt vulgo? negant Mynsinger ad rubr. X. de fide instrum. n. 5. & 6. Wefenbec. in part. eod. tit. n. 1. in fine, & alii passim, sed affirmatiuæ sententiæ in praxi receptæ calculum adjicio, probaturque ex L. Contrahitur 4. ff. de pignor. postquam etiam priuata scriptura instruat causam L. 1. ff. de fide instrum. & stabilimentum suum habet in communi praxi ut docet textus in Constat. Elec. Sax. 17. part. 1.

§. 11.

Hujus documenti requisita hic sigillatum demonstrare, temporis ratio dissuaderet, remitto ergo lectorum B. ad Process. Martin. tit. de Instrum. seu documentis literariis.

§. 12.

Probat autem scriptura privata contra scribentem, modo habeat causam debendi Carpz. p. 1. C. 17. def. 34. & 39. & certo constet quod ipsius sit contra quem producitur, quod sit per legitimam recognitionem Carpz. p. 1. Conſt. 28 def. 16. n. 2. vel per comparationem literarum vel per testes qui ſcriptioni adfuerunt Carpz. p. 1. C. 17. def. 14. minime autem proſcribente L. 6. 7. C. de prob. Carpz. p. 1. C. 17. def. 34. quia nemo est idoneus testis in propria cauſa L. 10. ff. de testib. etiamſi fiscus fit.

§. 13.

Limitatur hæc regula in rationibus mercatorum quæ tiam fidem faciunt proſcribente non vero plenam, sed in ſubſidium ſemi plene probare communis est DD. ſententia. In cauſis enim mercatorum de apicibus Juris non est disputandum

dum sed saltē de æquitate & bona fide Gail. L. 2. Obsr. 20.
n. 5.

§. 14.

Libri ergo mercatorum semi plenam receptis motibus faciunt fidem; si omnia requisita adsint a) Vt scribens homo sit legalis siue integræ famæ & probatæ fidei arg. L. 12. ff. de pign. act. quod tamen a Judice in dubio præ sumitur Meu. ad Jus Lubec. lib. 5. tit. 6. art. 4. n. 15. Ex quo hominis infamis & suspectæ vitæ, vt & decoctorum libri, nil probant, sed habent præsumptionem contra se Riuin. in specim. Except. for. Cap. 28. n. 18. & seqq. nisi jam ante decoctionem scripti fuerint Merckelb. h. t. n. 66. & seqq. b) Vt causam Obligationis in se contineat; Aus was Ursachen und woher die Schuld erwachsen Meu. ad Jus. Lubec. L. 5. t. 6. art. 4. n. 15. Eaque mercaturam seu artis sua exercitium comprehendat Gail. l. 2. obs. 20. n. 8. Nam extra mercaturam scripturæ mercatoris nulla attribuitur fides Men. p. 5. dec. ; 8. & p. 2. dec. 91 e. g. si dominum meam ad se pertinere in libris suis scriptissit Carpz. l. 3. resp. §8. n. 9. c) Vt propria manu contenta annotauerit, & subscriperit Gail. 2. Obsl. 20. n. 3. Id tamen de Jure non requiritur cum & institutoris liber prober. Struc. exerc. 28. th. 2. nec in praxi receptum est, Hahn, ad Wesenb. h. t. n. 6. d) Vt data, & accepta, cum designatione dierum in illis comprehendantur arg. L. 1. ff. §. de edend. L. 82. ff. de condicet. & demonstr. Quibus e) tandem accedit, ut Jure jurando suppletorio corroborentur Carpz. in processi. tit. 14. art. 5. n. 65.

§. 15.

Longe autem aliter sese habet cum heredibus, vt pote qui post mortem ad Juram, credulitatis admittuntur, Carpz. resp. 129.

§. 16.

Hæc quæ dicta sunt, procedunt saltē quo ad negotiations mercatorum, non vero in alias priuatis mercatorum negotiis,

§. 13. §.

gotiis, ad commerciorum materiam non spectantibus l. 3. § 2. ff. de Naut. Caup. & stab. Idem etiam extenditur ad officiales, quia eadem ratio locum habet, non vero ad aliorum priuatorum rationes; haec enim non semiplene probant, quia cessat in his ratio, propter quam id mercatoribus est concessum Carpz. l. 6. Reip. 121. n. 1.

§. 17.

Porro limitatur haec regula, quod priuata scriptura pro scribente nil proberet, si ab aduersario in Judicio producta fuerit, quia producens scripturam omnia approbasse censetur, quae dispositio in illa continentur Crauett. p. 1. Cons. 134. n. 9. Item si super facto antiquo confecta Gail. 1. 2. obs. 17. in fin.

§. 18.

Ad haec instrumenta etiam possunt referri Bacilli fissi Kerbyßler, literæ binæ ausgeschrittene Zettel, sed breuitatis studio remittimus B. L. ad B. Stryk. Dissert de bacillis fissis. c. 4. n. 35. & seqq.

§. 19.

Cœterum in scriptura priuata locum habet jurata diffusio Carpz. l. 3. Resp. 82. n. 11. & seqq. & declinari potest instrumentorum recognitio, quod vel existimentur falsa, vel plane incognita sint per juratam diffussionem Carpz. part. 3. Decis. 233. n. 6.

§. 20.

Nil autem aliud est diffusio quam documenti producti, mediante juramento, negatio, Schwendend. proc. Fibig. h. t. diffiteri enim est negare instrumentum tale, pro quo venditatur. Vulgata quippe regula est, ut quilibet scripturam vel instrumentum contra se productum recognoscatur, aut mediante jure jurando diffiteatur, Ord. Jud. Saxo - Goth. part. 1. Cap. 10. §. 27. vers. oder Eydl. diffitire.

§. 21.

Admititur etiam diffusio, licet in sententia solius recognitionis fuerit facta mentio Mev. p. 4. Dec. 147. & illa habet

§ 14 §

bet locum, licet a tertio, vel in lingua peregrina documenta
sint conscripta, vel recognoscens literarum plane sit ignarus
Carpz. p. 3 Dec. 233. non quidem simpliciter, sed cum ea
conditione, ut documentum in sermonem vernaculum per
juratos interpretes vertatur Carpz. p. 3. decisi. 234. n. 9. &
seqq.

§. 22.

Hoc juramentum referri non potest, quia non a Parte
sed a judge defertur, eaque propter legali juramento, quod
referri nequit, accensetur Carpz. in Proc. tit. 12. art. 5. n. 42.
& seqq. unde pronunciatur daß Beklagter die sub lit A produ-
cirte documenta zu recognosciren, oder Eydlich zu diffitien
schuldig, und hat die Eydes Relation dißfalls nicht statt.

§. 23.

Obiter etiam notandum hoc loco venit, quod jurata dif-
fessio pro præstita non habeatur, etiamsi actor in termino, quo
ea fieri debet, non compareat Schwendend. ad Fibig. p. m. 737.
nisi hic eam remiserit item Schwendend. pagi. m. 7. 38.

§. 24.

Non autem ut recognitio, ita etiam jurata documento-
rum diffissio in foro nostro Mandatorio, aut Procuratori com-
mitti potest, sed ipse met principalis juramento suo ea diffiteri
est obstrictus, & quidem adeo, ut ne sc̄eminæ habeant privile-
gium Curatore ejus scripturam vel sigillum negante Berlich,
part. 1. Concl. 44. n. 20. postquam in foro Saxonico quodvis
juramentum in propria persona præstari oporteat, nec admitt-
tatur alius, alterius nomine jurare volens, etiamsi speciali sit
instructus mandato, Land-Decht libr. 1. art. 46. §. Wo es aber
Schwendend. ad Fibig. p. m. 732,

§. 25.

Antequam hinc abeamus, non præter rem erit, prius
discipere, an etiam interrogatoria a parte adversa intuitu ar-
ticulorum admittantur? & eadem tam generalia quam specia-
lia admittenda esse censemus, modo non admerita & conten-
ta

63 15 23

ta instrumentorum; sed vti articuli probatoriales ad manum
& sigillum tantum, & sic vnicē ad formam externam exhibe-
antur Berlich. p. 2. C. 44 n. 52.

§. 26.

In haecenū dictis obseruauimus, materiam documen-
torum publicorum, & priuatorum; non absonum puto, si leui
ac breui penicillo etiam adumbrem, quæ sint obseruanda in
quarentigiatis. Quia alias separanda sunt, quæ inter sedstant.
Differentiam uero instrumenti publici & priuati a quarenti-
giatis haud difficile videre possumus. Jure enim civili non
prius ad executionem deueniri potest, quam actio intentata,
ac processus finitus fuerit: nequidem in publicis instrumen-
tis, puta quæ judicialiter a Magistratu vel a Notario coram te-
stibus confecta sunt. In foro autem Saxonico, in primis in
Electoratu nostro ex ord. Process. tit. 14. imo in toto fere Im-
perio, ex consuetudine precepta obtinet, vt ex instrumentis
indubitateis (inter quæ referri nequit documentum ad aliud
se se referens, Auth. si quis C. de Edendo.) & liquidis. Quo
etiam pertinent documenta a debitore subscripta, sigillata, in
charta tamen blanca, ab alio confecta, perhibentur Carpz. in
processu tit. 22. art. 1. n. 4C. & seqq. nisi Reus tales prober
præsumptiones, ob quas ad diffensionem juratam documen-
torum sit admittendus Carpz. d. l. n. 47. & executio citra ali-
um Processum peragatur, & appellari solent instrumenta qua-
rentigia h. e. bewährte instrumenta plenam sc. securitatem
continentia, ex quibus nimirum appetet, quid, quale, quan-
tum, cui, a quo, & ex qua causa debetur, ita, vt facta recog-
nitione nil super sit, quam vt reus condemnetur & ad solutio-
nem adigatur Schwendend. ad. fibig. p. m. 1123.

§. 27.

Longe autem aliter se se habet, si defecetus causæ adest,
tunc enim executiue agi nequit. Mev. p. 4. dec. 37. etiam si
quis causam debendi aliunde probare possit Colerus de pro-
cessu Execut. part. 3. C. 1. n. 7. Nam omnes exceptiones al-
gorius

§. 16. §.

tioris indaginis præter solutionis & compensationis in processu executu[m] remittuntur in reconuentiōnem Mev. p. 3, dec. 171. & Resol. graui de Anno 1661, tit. von Justitiē Gaschen n. 2. & 3.

§. 28.

Quoad ipsum processum bene est obseruandam, illum, qui ex tali instrumento executiue agere intendit, simpliciter petere debere ejus recognitionem, & hac secuta condemnatiōnem; Nam si petat dās er sich auf die Klage einlässe, oder antworte, mox hoc indicium est processus ordinarii vid. annotationes Stryck, h. t.

§. 29.

Coronidis loco controvertit selet, an ex vidimatis, vel aliis copiis, possit executiue agi? & Rsp. quod non, quia processus executiu[m] instrumenti quarentigati nullo plane dubio, aut apparenti vitio laborantis recognitionem unice exigit argum. O. P. S. tit. 25. pr. & saltē consuetudine est introductum, ut copia vidimata in processu ordinario probent Carpz. l. 3. Resp. 81. n. 8.

CAP. III.

§. 1.

Quoniam in præcedentibus fatis de documentis publicis, & priuatis, nec non quarentigatis actum est, opera pretium erit, vt de iis quæ recognosci possunt, vel non, etiam aliquid subjiciamus.

§. 2.

Recognitionis autem materiam constituunt varii generis documenta, quæ melioris doctrinæ gratia diuidi solent in recognoscibilia, & irrecognoscibilia. Hæc necessitatēm recognoscendi vel statim ab initio, & tempore concessionis, vel ex post facto deponunt, O. P. S. tit. 25. §. alle Brieffliche Uthfunden.

§. 3.

§ 3. 17 § 3.

Priori casu recognitio nullo modo potest productio iniungiri, si documentum causam debendi non continet. Carpz. part. i. Const. 17. def. 39. Aliud autem est statuendum, si per conjecturas causa debendi potest colligi. Carpz. d. decis 39. n. 7. aut si nomen debitoris non est expessum. Mascardus de prob. v. 2. concl. 626. n. 40. & agenti perpetuo obstat exceptio: Non sum nominatus in Instrumento. Carpz. in process. tit. 14. Art. 2. n. 41. Item si documenta parum aut nil contra reum probantia producuntur. Nam ut nemo supervacua probatio: ita nec inani recognitione grauari debet. Nicolai in process. part. i. cap. 23. n. 3.

§. 4.

Posteriori casu autem irrecognoscibile est documentum, si est suspectum defalso, aut inductum, laceratum, cancellatum, & interlineatum, maxime in locis substantialibus; tamen hic multum arbitrio Judicis est relinquendum, aut ruptum animo sc. perimendi instrumentum, aliud est si rup: tura casu fortuito, aut dolo adversarii facta, quominus ipse Producens eo uti possit Ruland. de Commis. p. 2. l. 5. c. 29. n. II.

§. 5.

Non siccо succo prae:ter eunda est quæstio, an pars delecta sit essentialis, an accidentalis? dicitur autem essentialis pars instrumenti, omnis illa quæ continet talia quæ ad cause decisionem spectare possunt. Priori casu si totaliter instrumenta rasa reperiuntur, cum nullam talia inducant probationem C. 7. X. de religios. Dom. nec ullum habeant effectum Asinus de execut. §. 1. Cap. 33. n. 3. sic recognitionem in totum respu:unt Schwendend. d. loc. & hoc procedit si pars essentialis ipsa est cancellata, non autem, si quædam reperiuntur extincta, Stryck. de Ras. cap. 2. n. 14. in fin. Posteriori casu si pars saltem accidentalis, delecta, tunc scriptura redditur quidem dubia, non vero suspecta, i. e. ff. de his quæ in test. delentur, vel

C

ff

¶ 13 ¶

Si rasura sit modica, quia modicum & nullum aequiparatur, per textum in C. licet causam x. de probat.

§. 6.

Vterius Instrumentorum copiz sunt irrecognoscibiles, quia exempla regulariter sine originali nil probant. Coler. de process. exec. p. 3. cap. i n. 44. & quidem adeo ut nec fiscus per ea probare possit. Wannus Cent. 4. Conf. I. n. 9.

§. 7.

Spectat etiam ad instrumenta irrecognoscibilia documentum referens absque relato, tale enim per se nil probat. Auth. si quis in aliquo C. de edendo itaque nemo cum ejusdem recognitione est grauandus, Brunnenm. in P. C. cap. 19. n. 41.

§. 8.

Inspectis nunc Instrumentis quae non recognosci possunt, haud difficile erit, inquirere, quae nam possunt, ne autem simus prolixiores, his omissis, nos convertimus ad personas, quae possunt recognoscere.

CAP. IV.

§. 1.

Potissima utilitas consistit in causa efficiente, quis possit recognoscere. Possunt autem omnes qui non prohibentur arg. L. 5. ff. §. 5. de test. prohibentur vero furiosi, Phrenetici, Fatui, Ebrii, & vino sepulti, aliaeque personae, non intelligentes, quod agunt Berlich. p. 1. concl. 44. n. 24.

§. 2.

Dantur insuper adhuc alii, qui nimimum liberrimam rerum suarum administrationem non habent, uti sunt pupilli & Minores, l. 6. ff. de V. S. potest tamen fieri recognitio per tutorem, & curatorem, nomine pupilli, vel minoris, vi Curatorii, vel tutorii, quo a Judice tutela & cura ipsis est commissa. Carpz. in Iprud. for. p. 1. constit. 17. def. 15. n. 3 & 6.

§. 3.

63 19 55

§ 3.

Jure Saxon. arcentur Mulieres nisi interveniente Curatore ad litem. Philipp. ad Decis. Elec. 22. obs. 2. 24. & 25. Exceptio tamen est in Mercatrice, quæ omnia ad Mercaturam spectantia, absque Curatore peragere potest Carpz p. 2. C. 15. d. 16.

§ 4.

Hic non incommode queritur, an etiam per Auctorem curatoris hic magni præjudicii recognitionis actus peragi possit? & reor, modo si a solo curatore ad litem dato, constituantur Auctorium, simul a curanda subscriptum producat, securus quam si a cutore ordinetur; ratio differentiæ consistit in eo, quod curator mulieris ad litem datus, nullam habeat rerum administrationem, adeoque nec ipse recognoscere queat, nisi vel in specie ad recognitionem fuerit constitutus, vel cum ipsa curanda faciat recognitionem Schwendend. ad Fibig p. m. 720. Tutor autem, vel curator Minoris, vel pupilli, rerum administratores sint l. i. ff. & t. C. de administrat. tutel. possunt que ea facere, quæ speciale requirunt mandatum, quia sunt domini loco l. 109. ff. de V. S. L. 157. ff. de R. J.

§. 5.

His autem perlustratis videre meretur, quænam personæ admittuntur, & parum refert, an quis per se, an per alium documenta ab adversa parte producta, recognoscere audeat, juxta illud ~~adversarius~~ quod quis per alium facit, id ipse fecisse putandus est, Berlich. p. 1. concl. 44. n. 17. quod etiam confirmat ordinatio Jud. Saxo-Goth. part. 1. Cap. 10. § 27. Endweder vor sich, oder durch einen genügsamen Gevollmächtigen.

§. 6.

Possunt autem procuratores, Syndici, & Mandatarii, recognoscere, modo habeant ex communis sententia mandatum speciale, Meuius part. 6. Decis. 20. Brunnen. ad L. 15. ff. de rebus auctor. Jud. possid. Nam recognitio cum paulo ante

C 2 dictum,

dictum, est magni præjudicij actus, vim confessionis habet, & per consequens paratam executionem. Carpz. p. 3. dec. 206. n. 2.

Sed quid, si mandatum non specialiter ad recognitio- nem, sed saltem ad Documentorum disputationem zum Rechts- lichen Verfahren über die Documenta darum sit? tunc non sufficere facienda recognitioni respondet curia suprema Lipsiensis anno 1699. & novissime adstruit Schwendend. ad Fibig p. m. 722. n. 353.

Vltimo haud raro contingere solet, ut procurator, vel alius speciali mandato instructus, manum non habeat cognitam, tunc certum a Judice possunt petere tempus ad referendum suis principalibus, eosque, quid in re ista faciendum, consilendos, ne per hoc dominio præjudicet arg. §. 2. Inst. de Offic. Jud.

CAP. V.

Tantum de personis, quæ possunt recognoscere, vel non; nunc paucula sunt dicenda de forma, ybi omnia ad amissim sint obseruanda: Qua propter vt terminus a Judice competente contra reum petatur, necesse est, ut simul cum libello exhibeantur copia.

Quo facto, officium judicis est, certum prafigere terminum, eoque nisi, vt transmissis documentorum copiis, legitime reus citetur l. 18. C. de fid. Instr; In quo termino sequi debet realis documentorum productio, alias eo neglecto, prodeserta habetur probatio, quia terminus productionis tam respectu copialium quam originalium est peremptorius Ord. Jud. Sax. Goth. p. 1. cap. 10. §. 23, & 24, nisi justa sint producenti

§ 3. 21. § 3.

centri impedimenta, vbi etiam post efflexum terminum, & publicatas attestations produc^{tio} admititur. Ord. Jud. Sax. Goth. d. §.

§. 3.

Quæstionem hic movere, hanc abs^{on}um videtur, vtrum recognitio ante, vel post litis contestationem fieri debeat, & respondetur distinguendo, inter processum ordinarium, & executivum, hoc casu statim ab initio libello annexi debent documenta, & illorum recognitio est petenda O. P. Sax. tit. 24. §. Wenn auch illo vero casu post item demum contestam, struv. exerc. 28. th. 22.

§. 4.

Quodsi autem nihil ominus actor illa exhibet cum libello, tunc nil operantur, & probatio inde inanis, nihil efficit Ord. Jud. Sax. Goth. p. 1. §. 25, Cap. 10. Wenn gleich/ nec Reus ea recognoscere obligatur Carpz. p. 1. c. 17. def. 9. n. 21. nisi probaturus post item contestatam eadem instrumenta in vim probationis ad recognoscendum reproducat, disponente ita ord. Proc. Sax. Goth. d. loco, & ratio evidens est, quia Actor invito Reo processum ordinarium non potest convertere in summarium & vice versa Mev. p. 5. Decis. 106 n. 4. & 5. nec sufficit verbalis reproduc^{tio}, qua probaturus sese ad documenta ante item contestatam vna cum libello exhibita, refert, sed reali cum articulorum oblatione opus est reprodu^ctione, alias probatio, vt deserta, declaratur, arg. l. 1. §. 1. ff. quod quisque Jur. in alter, stat.

§. 5.

Hæc autem prædicta certis in casibus limitantur. (a) Quando instrumenta ad litis ingressum impediendum ejusque exceptionem stabilendam producuntur, quo ipso recognitio ante lit. cont. Reo injungi potest Carpz. p. 1. C. 17. def. 10. (b) Quando executive auf die Hulffe ex iisdem instrumentis quareniatis paratam executionem habentibus, agitur. Berlich. p. 1. C. 43. n. 33. & 34. vbi in vim litis contest. & Re-

C 3

spon-

§ 3 2. § 3
Sponsionis statim ab initio recognitio exigitur. Ord. Proc. Sax.
tit. 24. § wenn auch

§. 6.

Formalia deinde processus Executivi ut rite obseruentur,
ante omnia incumbit A*ctori*, ut documenta quibus Reus ad
certam quantitatem s. summam ipsi exsolvendam obligatus,
in judicio producat, & copias una cum designatione, & literis
quibus recognitionem ab adversa parte roget, ad Acta offerat,
simulque perat ut iudex h^c omnia Reotransmittat, terminum-
que legalem ad recognoscendum, vel jurato diffidendum
præfigat Philipp. ad Decis. Elect. 2. obseru. 10.

§. 7.

Intermino nunc prævia Producentis provocatione facta,
pars adversa recognoscit, & quidem salvis exceptionibus, cu-
jus clausula hic est effec*tus*, excommuni Do*citorum* opinione,
ut non statim præfigatur executio, sed super illis prius cognos-
ci debeat, Berlich. part. 1, Concl. 84. n. 97. & seqq. quæ autem
clausula licet expressis verbis non sit reservata, semper tamen
reservata subintelligitur Carpz. in Proc. tit. 14. art. 3. n. 27.

§. 8.

H^c sunt quæ in documentorum recognitione obser-
vata fuisse nobis obvenerunt, multa nunc possent de contrariis
& eorum affinibus in medium proferri. Ob temporis vero
angustiam hic sufficit, dixisse, de hac insignimateria. Tu
vero L.B. si in quibusdam hallucinatus sim, defec*tus* pro ea qua
polles dexteritate, supple, & si quid minus accurate dictum,
in exercitato meo in hoc scribendi genere studio con-
dona, Interim Deo T. O. Maximo sit laus ho-
nor & gloria.

Ingenii

Ingenii specimen dum doctum prodis amice
 Quo tempus studiis omne dedisse probas,
 Et repetis patrios merita cum laude penates,
 Gratulor ex animo, prospera queque precans

Hac adjecit

H. F. Bruckner. C. H. H.

Jam verum monstras, tritum quod dicitur illud:
Omnia conando docilis solertia vincit.
 Anxius barebas a primis buc usque javentis,
 Nec firmo tali stabat mens ardua voldens,
 Nec scio quicis verbis possim describere curam,
 Et quanam methodo studium pingatur & ardor
 Seria tractandi; volverbas nocte, dieque
 Autores Grecos, latios celebresque Poetas,
 Non TE dejecit multum meminisse laborum,
 Tandem exoptata licuit contingere metans,
 O! TE felicem, quis bac TIBI gaudia fecit?
 Non somnus, nec longa quies, mala bestia campi
 In felix lolium segetes quod vastat opimas,
 Virtus TE duxit Minerva ad mollia prata,
 Sub cuius duebus quidvis eatissimus ibit.
 Zelotam magnonunc addet praemia Pallas,
 Ad cuius folium procedis genua flettens,
 Hac merito charum natum mox cinget honore,
 Nectarare perfundet, quem semper amavit, AMEN.

Gloria


Gloria virtutem sequitur, quod comprobas ipse,
 Ornatum cerno, cultu splendente micantem,
 Thronum concendis Themidis, Jurisque Cathedram.
 Hinc votum paucis verbis expectore fundo,
 Augeat egregias Princeps, ae patria laudes,
 Nestores annos attingas, optima fata
 Vinentem maneant, hec Compatriota fidelis
 Scripsit Kunboldus digitis, calamoque volante.

ZAHNIVS cum summa concendit laude Cathedram
 Ut det doctrine publica signa sua
 Ut profit patriæ quacunque in parte credenda,
 Afferat ut etiam gaudia multa patri.
 Sic studi⁹ dignum Themidis se reddit honore
 Vi fortuna ferat præmia digna precor.

His congratulabatur Prænob.
 Dn. Doctorando

G. W. Herda. L. L. Stud.





ULB Halle

001 972 26X

3



5,6,



Farbkarte #13

D. B. V.
ALIGURALIS JURIDICA
DE
VENTORUM
NITIONE 1716, 25³⁹
2VAM
NI NUMINIS GRATIA
IS UNIVERSITATIS
CENTISSIMO,
ILLUSTRISSIMO DOMINO,
O WILHELMO,
DE BOINEBURG,
Æ CATHOLICÆ MAJESTATIS CON-
METROPOLITANARUM ECCLESIA-
IRENSIS CANONICO CAPITULARI,
REMO CHORI EPISCOPO, EMINEN-
ORIS MOGUNTINI CONSILIARIO
TERRITORIQUE ERFFUR-
PRINCIPÆ. &c. &c.
E S I D E
TENZEL, J.U.D.
DECANO, JUDICII PROVINC. ASSES-
FURT. CONSULE, ET SYNDICO
RIO, &c.
PIETATIS CULTU DEVENERANDO
CENTIA,
ORE HONORES & PRIVILEGIA
A CAPESSENDI,
CTORUM MAJORI
CXL. HORIS CONSVETIS
UM EXAMINI EXPONIT
TONIUS ZAHN,
OTHANUS.
RTHERI, ACAD. Typog. Adj.